

LUDOLPHI KUSTERI
 PRÆFATIO
 AD
 LECTOREM.

Biennium est, aut non multo secus, ex quo Vir Reverendus & Doctissimus JOANNES MILLIUS, nunc μακαρίτης, præclaram *Novi Testamenti* Editionem Oxonii edidit, in qua adornanda plus triginta annos consumpserat, excussis incredibili diligentia & studio non solum MSS. quamplurimis, sed etiam Editt. præcipuis, itemque Versionibus veteribus, Patribus, Commentatoribus, aliisque Scriptoribus Ecclesiasticis, tam Græcis, quàm Latinis, ut Variantes Lectiones *Novi Testamenti*, per tot librorum volumina sparsas, in unum quasi corpus redigeret, & sic Lectori pio & erudito ob oculos poneret, tum convenientiam, tum discrepantiam Textûs hodierni ab eo, quo Ecclesia Christiana antiquioribus seculis usa fuisset. Utilissimus sane labor, & homine Christiano dignissimus; quo quidem vir modo laudatus quantum Ecclesiam sibi obstrinxerit, quicquid est Theologorum cordatiorum & hominum elegantiorum, facile intelligunt. Neque enim illos quicquam moror, qui omnem Criticam, tanquam non inutilem solum, sed etiam periculi plenam, à S. Scriptura removendam censent: qui quidem homines quid sibi velint, ipsi ignorare videntur, neque satis animadvertere, quàm facile copiarum illorum in angustum cogi possint. Quid enim? an negabunt dari Variantes Lectiones *Novi Testamenti*? An vero affirmabunt, primos Editores *Novi Testamenti*, & inter eos præcipue ROBERTUM STEPHANUM (cujus Editio præ aliis recepta est) divino afflatu & instinctu præditos fuisse, ne in dissensione Codicum MSS. quos ad manum habebant, à vero Textu Apostolico unquam aberrarent? Equidem & verecundioris frontis & sanioris judicii eos fore existimo, quàm ut vel illud negare, vel hoc affirmare audent.

Si igitur dantur Variantes Lectiones *Novi Testamenti*, (quod concedere necesse est) num bonum factum putabunt, eas negligere, aut suppressum ire? Atqui si hoc ipsis persuasum est, omnes cordatiores seorsum ab illis sensuros esse non dubito. Vel enim Variantes illæ Lectiones sunt alicujus momenti, vel nullius. Si alicujus sunt momenti; quæ invidia, ne dicam impietas fuerit, pretiosas illas Antiquitatis reliquias suppressere, ex quibus vera & archetypa Textûs Sacri lectio sæpe erui poterit? Si nullius sunt momenti; quid cunctantur ea in lucem proferre, unde non solum causæ Religionis Christianæ nullum imminet periculum, sed etiam quæ maximum ad stabiliendam ejus veritatem adjumentum adferre possunt? Quid enim auctoritatem Textûs Sacri magis confirmare queat, quam mirificus tot Codicum MSS. Versionum, Patrum, aliorumque Scriptorum veterum consensus; qui (quod ad ipsum Textum adinet) leviter tantum & exiguo admodum discrimine inter se discrepent?

Et sane (ut dicam quod res est) ex præstantissima hac N. T. Editione MILLIANA, (ad quam nunc nostrâ operâ accessio haud spernenda facta est) vel hic præcipue fructus in Ecclesiam redundat, quod nunc demum scire liceat, plerasque tot Codicum MSS. Lectiones Variantes ita comparatas esse, ut parum vel nihil inter eas intersit. Quid enim, quæso, interest, utrum ex gr. scribatur καὶ ἐγὼ, an καὶ ἐγώ? ἐλάσων, an ἐλάττων? γενέσθω, an γινέσθω? λαλώσιν an λαλήσωσιν? εὐδόκησα, an ηὐδόκησα? μαθεῖν an μαθήσθαι? ἀνεώχθη, an ἠνεώχθη, vel ἠνοίχθη? Κύριον, an addito articulo, ὁ Κύριον? ὄρω an βλέπω? ἔπειτα an εἶτα? νῦν an νυνί? δῆλον ὅτι, an unâ voce δηλονότι? Μωσῆς an Μωϋσῆς? & innumera alia hujus generis, quæ longe maximum Variantium Lectionum numerum in hac Editione implent. Sane si leviora illa à reliquis separaveris, mirum quam exiguus eorum relinquatur numerus, quæ videantur alicujus esse momenti, & erudito pioque Lectori dubitandi materiam præbere possint, utra lectio alteri præstet.